Quelle: https://manuscripta.at/?ID=889
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

que nunc quinti equinoctii coniectura colligimus. xii. kalendarum aprilium vo
catur. Quinta natalicia et volatilia creavit animantia. Sexta animalia
terrestria et ipsum formavit adam de cuius latere dormientis matrem
omnium viventium evam quae nunc quintum mihi videtur esse credibile. x. kalendarum
aprilium dies appellatur. Unde non merito creditur si non verior sententia vincit
quod beatus theophilus cum ceteris non solum palestine. sed et multis aliarum regionum
episcopis de pascha disputans scripsit eodem. x. kalendarum aprilium die dominum fu
isse crucifixum. Decebat enim una eademque non solum ebdomadis sed et men
sis die secundum adam pro genus humani salute vivifica morte sopitum.
de productis e latere suo sacramentis celestibus sponsam sibi sanctificare ecclesiam
quo videlicet die primum ad opus patrem videlicet humani generis ipse creaverat. eique
de latere costam tollens. edificavit mulierem cuius adiutorio genus
propagaret humanum. De reliquiis sexte etatis. LXVIII.

Hec de cursu preteriti seculi ex hebraica veritate prout potuimus elu
cubrare curavimus. equiperantes tamen ut sicut greci LXX translatorum
editione utentes de [illegible] ea sua suisque temporum libros ediderunt. ita et
nos quia per beati interp[illegible] tis hieronimi industriam puro hebraice
veritatis fonte [illegible] potamur. temporum quoque ratione iuxta hanc scire
queramus. Quod si qui [illegible] laborem hunc nostrum culpaverint esse superfluum. ac
cipiant hunc [illegible] quicquid sit iustum salva caritate responsum. quod
prefatus hieronimus prisce cosmographie calumniatoribus reddidit.
ut si displicet non legant. Ceterum cunctis in commune suademus.
ut sive quis ex hebraica veritate quae ad nos per memoratum interpretem pu
ra pervenisse et ab hostibus iudeis inpfesso est. sive ex LXX interpretum trans
latione quae vel minus sollicite primo edita est. ut multi astruunt. vel per
a gentilibus corrupta ut beato augustino videtur. seu certe ex utrisque
commixto opere codicibus. ut sibi visum fuit. temporum cursum notavit.
et sive pluriora seu breviora transacti seculi tempora signavit. aut
signata repperit. Nullatenus tamen ex hiis longiora vel breviora quae restant
seculi tempora putet memor semper dominice sententie quae de die ultima
et hora nemo scit. neque angeli celorum nisi pater solus. Neque enim ullatenus
sunt audiendi. qui suspicantur huius seculi statum. sex milium annorum ab ini
tio fuisse definitum. Et ne contra sententiam domini venire videantur ad
dunt incertum mortalibus quoto anno sexte millenarie partis ven
turus sit dies iudicii. cuius tamen adventus maxime circa terminum sexti mil
lenarii debeat sperari. Atque hiis si quis vel hic putanda vel credenda legerunt.